

dem interpretationem refert ad Försterum, qui in Rad. *הבב* sic reddiderit textum, quod nempe sepulchrum ejus fuerit cum impiis, nim. quoad destinationem & intentionem Judæorum, at quoad directionem divinam in morte fuerit cum Josepho Senatore divite. Et posuit ap. malefactores sepulchrum ejus, & ap. divitem excelsa ejus. Qui sensus etiam Oecolampadio probatur, nec non Francisco Gomaro in Annot. ad Bibl. Belg. quem & Alexander Morus aliis interpretationibus præfert: gloriam tamen inventæ hujus interpretationis non Förstero tribuit, ut antea Rivetus, sed Aben Esræ, quod is vocem *Et dedit* interpretatus sit de cogitatione, & *והבב* de excelsis: quod ita in meliorem sensum convertendum censet: *Et dedit* (Judæus) i. e. cogitabat dare ipsi sepulchrum cum impiis: at cum divite monumentum ejus. Optimus autem, inquit, hinc existit sensus, ac planè Evangelicus: Judæus quidem populus, quos in morte ipsi socios dederat (sc. latrones) etiam destinabat ipsi post mortem socios quoad infamiam sepulturæ: at cum divite fuit monumentum ejus, Josepho nim. Arimathæo, qui Matth. 27, 57. *ἀνδρῶνος πλάσιος* dicitur: Adducit Aben Esra Rabbinos etiam alios, qui vocem *והבב* de *Excelsis* acceperint, uti Deut. 27, 29. adhibetur.

§. 19. At enim verò Interpretationi huic plurima obstant: & (1) quidem quoad *Subjectum*, nim. eum qui *dedit*, quem hic Rivetus facit *Populum Judaicum*, cujus tamen nulla in præcedd. facta fuit

C

men-